



INCIPIT REGVLA  
SANCTI PATRIS NOSTRI  
AVGVSTINI.



**PROCEMIVM.**

**A**nte omnia, fratres carissimi, diligatur Deus,  
deinde et proximus, quia ista sunt præcepta  
principaliter nobis data. **2.** Hæc sunt quæ  
ut obseruetis, præcipimus in monasterio constituti.

## CAPVT I. DE FINE ET FVNDAMENTO VITÆ COMMVNIS.

3. Primum, propter quod in unum estis congregati, ut unanimes habitetis in domo et sit uobis anima una et cor unum in Deum. 4. Et non dicatis aliquid proprium, sed sint uobis omnia communia, et distribuatur unicuique uestrum a præposito uestro uictus et tegumentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter ualetis omnes, sed potius unicuique sicut cuique opus fuerit. Sic enim legitis in *Actibus Apostolorum*, quia « erant illis omnia communia et distribuebatur unicuique sicut cuique opus erat » (*Act. 4,32 ; 35*). 5. Qui aliquid habebant in sæculo, quando ingressi sunt monasterium, libenter illud uelint esse commune. 6. Qui autem non habebant, non ea quærant in monasterio quæ nec foris habere potuerunt. Sed tamen eorum infirmitati quod opus est tribuatur, etiam si paupertas eorum, quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat inuenire. Tantum non ideo se putent esse felices quia inuenerunt uictum et tegumentum, quale foris inuenire non poterant. 7. Nec erigant ceruicem, quia sociantur eis ad quos foris accedere non audebant, sed sursum cor habeant et terrena uana non quærant, ne incipiant esse monasteria diuitibus utilia, non pauperibus, si diuites illic humiliantur et pauperes illic inflantur. 8. Sed rursus etiam illi qui

aliquid esse uidebantur in sæculo non habeant fastidio fratres suos qui ad illam sanctam societatem ex paupertate uenerunt. Magis autem studeant, non de parentum diuitum dignitate, sed de pauperum fratrum societate, gloriari. Nec extollantur, si communi uitæ de suis facultatibus aliquid contulerunt, nec de suis diuitiis magis superbiant, quia eas monasterio partiuntur, quam si eis in sæculo fruerentur. Alia quippe quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur ut fiant, superbia uero etiam bonis operibus insidiatur ut pereant ; et quid prodest dispergere dando pauperibus et pauperem fieri, cum anima misera superbior efficitur diuitias contemnendo, quam fuerat possidendo ? 9. Omnes ergo unanimiter et concorditer uiuite, et honorate in uobis inuicem Deum cuius templa facti estis.

## **CAPVT II. DE ORATIONE.**

10. Orationibus instate horis et temporibus constitutis. 11. In oratorio nemo aliquid agat nisi ad quod est factum, unde et nomen accepit ; ut si forte aliqui, etiam præter horas constitutas, si eis uacat, orare uoluerint, non eis sit impedimento, qui ibi aliquid agendum putauerit. 12. Psalmis et hymnis cum oratis Deum, hoc uersetur in corde quod profertur in uoce. 13. Et nolite cantare nisi quod

legitis esse cantandum ; quod autem non ita scriptum est ut cantetur, non cantetur.

### **CAPVT III. DE FRUGALITATE ET MORTIFICATIONE.**

14. Carnem uestram domate ieiuniis et abstinentia escæ et potus, quantum ualetudo permittit. Quando autem aliquis non potest ieiunare, non tamen extra horam prandii aliquid alimentorum sumat, nisi cum ægrotat. 15. Cum acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod uobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu et contentionibus audite ; nec solæ uobis fauces sumant cibum, sed et aures esuriant Dei uerbum. 16. Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine, si aliter tractantur in uictu, non debet aliis molestum esse nec iniustum uideri, quos facit alia consuetudo fortiores. Nec illos feliciores putent, quia sumunt quod non sumunt ipsi, sed sibi potius gratulentur, quia ualent quod non ualent illi. 17. Et si eis, qui uenerunt ex moribus delicatioribus ad monasterium, aliquid alimentorum, uestimentorum, stramentorum, operimentorum datur, quod aliis fortioribus et ideo feliciores non datur, cogitare debent quibus non datur, quantum de sua sæculari uita illi ad istam descenderint, quamuis usque ad aliorum, qui sunt corpore firmiores, frugalitatem peruenire

nequiuerint. Nec debent uelle omnes, quod paucos uident amplius, non quia honorantur, sed quia tolerantur, accipere, ne contingat detestanda peruersitas, ut in monasterio, ubi, quantum possunt, fiunt diuites laboriosi, fiant pauperes delicati. 18. Sane, quemadmodum ægrotantes necesse habent minus accipere ne grauentur, ita et post ægritudinem sic tractandi sunt, ut citius recreentur, etiam si de humillima saeculi paupertate uenerunt, tamquam hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod diuitibus anterior consuetudo. Sed cum uires pristinas reparauerint, redeant ad feliciorum consuetudinem suam, quæ famulos Dei tanto amplius decet, quanto minus indigent. Nec ibi eos teneat uoluptas iam uegetos, quo necessitas leuarat infirmos. Illi se aestiment ditiores qui in sustinenda parcitate fuerint fortiores ; melius est enim minus egere, quam plus habere.

#### **CAPVT IV. DE CVSTODIA CASTITATIS ET FRATERNA CORRECTIONE.**

19. Non sit notabilis habitus uester, nec affectetis uestibus placere sed moribus. 20. Quando proceditis, simul ambulate ; cum ueneritis quo itis, simul state. 21. In incessu, in statu, in omnibus motibus uestris nihil fiat quod cuiusquam offendat aspectum, sed quod uestram decet sanctitatem. 22.

Oculi uestri, etsi iaciuntur in aliquam feminarum, figantur in nemine. Neque enim, quando proceditis, feminas uidere prohibemini, sed appetere, aut ab ipsis appeti uelle, criminum est. Nec solo tactu et affectu, sed aspectu quoque, appetitur et appetit concupiscentia feminarum. Nec dicatis uos animos habere pudicos, si habetis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius. Et cum se inuicem sibi, etiam tacente lingua, conspectu mutuo corda nuntiant impudica, et secundum concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda uiolatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus. **23.** Nec putare debet qui in femina figit oculum et illius in se ipse diligit fixum, ab aliis se non uideri, cum hoc facit ; uidetur omnino, et a quibus se uideri non arbitratur. Sed ecce lateat et a nemine hominum uideatur, quid faciet de illo desuper inspectore quem latere nihil potest ? An ideo putandus est non uidere, quia tanto uidet patientius, quanto sapientius ? Illi ergo uir sanctus timeat displicere, ne uelit feminæ male placere. Illum cogitet omnia uidere, ne uelit feminam male uidere. Illius namque et in hac causa commendatus est timor, ubi scriptum est : « Abominatio est Domino defigens oculum » (*Prou. 27, 20*). **24.** Quando ergo simul estis in ecclesia et ubicumque ubi et feminæ sunt, inuicem uestram pudicitiam custodite ; Deus enim qui habitat in

uobis, etiam isto modo uos custodiet ex uobis. 25. Et si hanc de qua loquor oculi petulantiam in aliquo uestrum aduerteritis, statim admonete, ne coepta progrediatur, sed de proximo corrigatur. 26. Si autem et post admonitionem iterum, uel alio quocumque die, id ipsum eum facere uideritis, iam uelut uulneratum sanandum prodat, quicumque hoc potuit inuenire ; prius tamen et alteri uel tertio demonstratum, ut duorum uel trium possit ore conuinci et competenti seueritate coerceri. Nec uos iudicetis esse maleuolos, quando hoc indicatis. Magis quippe innocentes non estis, si fratres uestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus uulnus haberet in corpore, quod uellet occultare, cum timet sanari, nonne crudeliter abs te sileretur et misericorditer indicaretur ? Quanto ergo potius eum debes manifestare, ne perniciosius putrescat in corde ? 27. Sed antequam aliis demonstretur, per quos conuincendus est, si negauerit, prius praeposito debet ostendi, si admonitus neglexerit corrigi, ne forte possit, secretius correptus, non innotescere ceteris. Si autem negauerit, tunc nescienti adhibendi sunt alii, ut iam coram omnibus possit non ab uno teste argui, sed a duobus uel tribus conuinci. Conuictus uero, secundum praepositi, uel etiam presbyteri ad cuius dispensationem pertinent, arbitrium, debet emendatoriam sustinere

uindictam. Quam si ferre recusauerit, etiam si ipse non abscesserit, de uestra societate proiciatur. Non enim et hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat. 28. Et hoc quod dixi de oculo non figendo, etiam in ceteris inueniendis, prohibendis, indicandis, conuincendis uindicandisque peccatis, diligenter et fideliter obseruetur, cum dilectione hominum et odio uitiorum. 29. Quicumque autem in tantum progressus fuerit malum, ut occulte ab aliqua litteras uel quaelibet munuscula accipiat, si hoc ultro confitetur, parcatur illi et oretur pro illo ; si autem deprehenditur atque conuincitur, secundum arbitrium presbyteri uel præpositi grauius emendetur.

#### **CAPVT V. DE HIS QUIBUS VTITUR TRANSITVRA NECESSITAS EORVMQUE CVSTODIBVS.**

30. Vestes uestras in unum habete, sub uno custode uel duobus uel quot sufficere potuerint ad eas excutiendas, ne a tinea lædantur; et sicut pascimini ex uno cellario, sic induimini ex uno uestiario. Et, si fieri potest, non ad uos pertineat, quid uobis induendum pro temporis congruentia proferatur, utrum hoc recipiat unusquisque uestrum quod deposuerat, an aliud quod alter habuerat ; dum

tamen unicuique, quod cuique opus est, non negetur. Si autem hinc inter uos contentiones et murmura oriuntur, cum queritur aliquis deterius se accepisse quam prius habuerat et indignum se esse qui ita uestiatur, sicut alius frater eius uestiebatur, hinc uos probate quantum uobis desit in illo interiore sancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis. Tamen si uestra toleratur infirmitas, ut hoc recipiatis, quod posueritis, in uno tamen loco, sub communibus custodibus habete quod ponitis. **31.** Ita sane, ut nullus sibi aliquid operetur, sed omnia opera uestra in commune fiant, maiori studio et frequentiori alacritate, quam si uobis singuli propria faceretis. Caritas enim, de qua scriptum est quod « non quærat quæ sua sunt » (*1 Cor. 13, 5*), sic intellegitur, quia communia propriis, non propria communibus anteponit. Et ideo, quanto amplius rem communem quam propria uestra curaueritis, tanto uos amplius profecisse noueritis ; ut in omnibus quibus utitur transitura necessitas, superemineat, quæ permanet, caritas. **32.** Consequens ergo est ut etiam si quis suis filiis, uel aliqua necessitudine ad se pertinentibus, in monasterio constitutis, aliquid contulerit, uel aliquam uestem, siue quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occulte accipiatur, sed sit in potestate præpositi, ut in re communi redactum, cui necessarium fuerit, præbeatur. Quod

si aliquis rem sibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur. **33.** Indumenta uestra secundum arbitrium præpositi lauentur, siue a uobis, siue a fullonibus, ne interiores animae sordes contrahat mundæ uestis nimius appetitus. **34.** Lauacrum etiam corporum, cuius infirmitatis necessitas cogit, minime denegetur, sed fiat sine murmure de consilio medicinæ, ita ut, etiam si nolit, iubente præposito, faciat quod faciendum est pro salute. Si autem uelit, et forte non expedit, suæ cupiditati non obœdiat. Aliquando enim, etiam si noceat, prodesse creditur quod delectat. **35.** Denique, si latens est dolor in corpore, famulo Dei, dicenti quid sibi doleat, sine dubitatione credatur; sed tamen, utrum sanando illi dolori, quod delectat expediat, si non est certum, medicus consulatur. **36.** Nec eant ad balneas, siue quocumque ire necesse fuerit, minus quam duo uel tres. Nec ille qui habet aliquo eundi necessitatem, cum quibus ipse uoluerit, sed cum quibus præpositus iusserit, ire debet. **37.** Aegrotantium cura, siue post aegritudinem reficiendorum, siue aliqua imbecillitate, etiam sine febribus laborantium, uni alicui debet iniungi, ut ipse de cellario petat, quod cuique opus esse perspexerit. **38.** Siue autem qui cellario, siue qui uestibus, siue qui codicibus præponuntur, sine murmure seruiant fratribus suis. **39.** Codices certa hora singulis diebus petantur ; extra horam qui

petierit, non accipiat. 40. Vestimenta uero et calceamenta, quando fuerint indigentibus necessaria, dare non differant, sub quorum custodia sunt quæ poscuntur.

## **CAPVT VI. DE PETENDA VENIA ET OFFENSIS CONDONANDIS.**

41. Lites aut nullas habeatis, aut quam celerrime finiatis, ne ira crescat in odium, et trabem faciat de festuca, et animam faciat homicidam. Sic enim legitis : « Qui odit fratrem suum homicida est » (*1 Io. 3, 15*). 42. Quicumque conuicio, uel maledicto, uel etiam criminis obiectu, alterum læsit, meminerit satisfactione quantocius curare quod fecit, et ille qui læsus est, sine disceptatione dimittere. Si autem inuicem se læserunt, inuicem sibi debita relaxare debebunt, propter orationes uestras, quas utique, quanto crebriores habetis, tanto saniores habere debetis. Melior est autem qui, quamuis ira saepe temptatur, tamen impetrare festinat, ut sibi dimittat, cui se fecisse agnoscit iniuriam, quam qui tardius irascitur et ad ueniam petendam difficiliter inclinatur. Qui autem numquam uult petere ueniam, aut non ex animo petit, sine causa est in monasterio, etiam si inde non proiciatur. Proinde uobis a uerbis durioribus parcite ; quæ si emissa fuerint ex ore uestro, non pigeat ex ipso ore proferre

medicamenta, unde facta sunt uulnera. **43.** Quando autem necessitas disciplinæ, minoribus coërcendis, dicere uos uerba dura compellit, si etiam in ipsis modum uos excessisse sentitis, non a uobis exigitur, ut ab eis ueniam postuletis, ne apud eos quos oportet esse subiectos, dum nimia seruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Sed tamen petenda uenia est ab omnium Domino, qui nouit etiam eos, quos plus iusto forte corripitis, quanta beneuolentia diligatis. Non autem carnalis, sed spiritalis inter uos debet esse dilectio.

#### **CAPVT VII. DE REGENDI OBEDIENDIQVE RATIONE.**

**44.** Praeposito tamquam patri obœdiatur, honore seruato, ne in illo offendatur Deus ; multo magis presbytero, qui omnium uestrum curam gerit. **45.** Vt ergo cuncta ista seruentur et, si quid seruatum non fuerit, non neglegenter prætereatur, sed emendandum corrigendumque curetur, ad præpositum præcipue pertinebit ; ita, ut ad presbyterum, cuius est apud uos maior auctoritas, referat, quod modum uel uires eius excedit. **46.** Ipse uero qui uobis præest, non se existimet potestate dominantem, sed caritate seruientem felicem. Honore coram uobis prælatus ist uobis, timore coram Deo substratus sit pedibus uestris. Circa

omnes seipsum bonorum operum præbeat exemplum, corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes. Disciplinam libens habeat, metum imponat. Et quamuis utrumque sit necessarium, tamen plus a uobis amari appetat quam timeri, semper cogitans Deo se pro uobis redditurum esse rationem. 47. Vnde uos magis obœdiendo, non solum uestri, uerum etiam ipsius misere mini, quia inter uos, quanto in loco superiore, tanto in periculo maiore uersatur.

#### **CAPVT VIII. DE REGVLÆ OBSERVANTIA.**

48. Donet Dominus, ut obseruetis hæc omnia cum dilectione, tamquam spiritalis pulchritudinis amatores et bono Christi odore de bona conuersatione flagrantes, non sicut serui sub lege, sed sicut liberi sub gratia constituti. 49. Vt autem uos in hoc libello tamquam in speculo possitis inspicere, ne per obliuionem aliquid neglegatis, semel in septimana uobis legatur. Et ubi uos inueneritis ea quæ scripta sunt facientes, agite gratias Domino bonorum omnium largitori. Vbi autem sibi quicumque uestrum uidet aliquid deesse, doleat de præterito, caueat de futuro, orans ut ei debitum dimittatur et in temptationem non inducatur.